

Elifabethæ, Ungaria Mariæ, Suecia Margarethæ & Christinae suæ non infaustum hodiernum celebrat Imperium.

§. IV. Non minor gloria, quæ Heroum Togatorum exemplo Togatæ ut appellentur, jure velut quodam suo sibi postulant, Heroinas manet. *Non enim universale est, Antonius de Guevara a) inquit, ingenio masculos omnes sagaci, omnesq; femellas inertes esse. Quin si ex æquo utriq; erudirentur, futurum crediderim, ut tot haberemus feminas eruditas, quot habemus viros rudes.* Et Macrobius b) *Literarum amor, multaq; eruditio mitis humanitas, minimeq; severus animus ingentem femine gratiam conciliat.* Equidem Balsacius c) *Nobile alias apud Gallos nomen, sed dignus profecto, cui Xantippe obtigisset, Italorum forsan: Allor la donna de parlare, quando la gallina vâ à pisciare. i. e. Mulier non loquatur, donec gallina minxerit; proverbio adductus dixit: Malle se habere uxorem barba onustam, quam talem, quæ sit erudita.* Cui suggillationi jungendum est barbarum Poetæ istius Arabici, Pharezdaki, de pereleganti Arabicæ cujusdam femine carmine, judicium ex Pocokio à Morhofio d) *relatum: Wenn die Henne wie der Hahn singet / muß man ihr den Hals abschneiden.* In quorum censum referendus etiam esset Molierius, qui feminas doctas contemptui habere nonnullis visus hoc poemate: *Ab! les femmes Docteurs ne sont pas de mon gout. Je consens, qu' une femme ait de clartez de tout; Mais je ne luy veux point la passion choquante De se rendre savante afin d' estre savante. Et j' ayme que souvent aux questions qu' on fait, Elle sçache ignorer les choses qu' elle sçait.* Nisi contrariam ejus mentem nos edocuisset Cl. Junckerus e) ipsum de iis potius feminis, quæ amori indulgent nimium, quam iis, quæ mentem scientia instruunt loqui ex verborum nexu demonstrans.

§. V. Sed rectius omnino contra tales à sacrario Minervæ feminas promiscuè arcentes Gregorius Nazianzenus f) sentit: *Eandem esse rationem vimq; animorum in viris & in feminis, sexumq; non animæ*
sed

a) L. II. Horol. Princ. c. XXXII. n. 359. b) L. II. 5. c) apud Vockerodt Introd. in Soc. Lit. Sect. II. c. II. §. I. d) Im Unterricht von der teutschen Poeterey cap. IX. p. 444. e) Centuria feminarum Erudit. p. 3. f) Oratione II. de Gorgonia, sororis, laudibus.